

quem quondam Georgius de Haugwicz olim ipsius ecclesiae decanus dum viveret obtinebat, per obitum ipsius Georgii, qui postquam ad ecclesiam Nuemburgensem tunc per obitum bonae memoriae Petri nuper episcopi Nuemburgensis extra Romanam curiam defuncti vacantem per dilectos filios capitulum ipsius ecclesiae in episcopum Nuemburgensem concorditer electus fuerat, in possessione dicti decanatus existens extra eandem curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad praesens, nos qui praefatum Georgium ob suorum exigentiam meritorum ad dictam Nuemburgensem ecclesiam sic ut praefertur vacantem promovere intendebamus, tibi praemissorum obsequiorum et meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes teque a quibuscumque excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis a iure vel ab homine in te quavis occasione vel causa etiam apostolica auctoritate latis, quibus forsitan ligatus existis, quo ad hoc ut praesentium duntaxat consequaris effectum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te super hoc nobis oblatam petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate decanatum praefatum, qui in praefata ecclesia Misnensi dignitas non tamen maior post pontificalem existit cuiusque fructus redditus et proventus viginti marcharum argenti secundum communem estimationem valorem annum ut etiam accepimus non excedunt, sive ut praemittitur sive alias quovis modo aut ex alterius cuiuscumque seu per liberam dicti Georgii vel alicuius alterius de illo in dicta curia vel extra eam etiam coram notario publico et testibus sponte factam resignationem aut constitutionem felicitis recordationis Johannis papae XXII. praedecessoris nostri quae incipit ‚execrabilis‘, vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem praedictam legitime devoluta ipseque decanatus dispositioni apostolicae specialiter vel alias ex quavis causa generaliter reservatus existat, et ad illum consueverit quis per electionem assumi eique cura immineat animarum, super eo quoque inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, in dicta curia vel extra eam pendeat indecisa, cum omnibus iuribus et pertinentiis apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo etiam providemus, decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Et nihilominus venerabili fratri episcopo Ferrariensi et dilectis filiis praeposito ecclesiae Bambergensis ac officiali Misnensi motu simili per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios te vel procuratorem tuum nomine tuo in corporalem possessionem decanatus iuriumque et pertinentiarum praedictarum inducant auctoritate nostra et defendant inductum, amoto exinde quolibet detentore, facientes te vel procuratorem tuum praedictum ad decanatum huiusmodi ut est moris admitti tibi de illius fructibus redditibus proventibus iuribus et obventionibus universis integre responderi, contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo, non obstantibus bonae memoriae Bonifacii papae VIII. et aliis apostolicis constitutionibus necnon statutis et consuetudinibus dictae ecclesiae Misnensis iuramento confirmatione apostolica vel alia quavis firmitate roboratis contrariis quibuscumque — aut si praesens non fueris ad praestandum de observandis statutis et consuetudinibus